



CLARISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO
PRINCIPI, DOMINO, DOMINO
Francisco à Stunica, & Sotomayor; Duci Vejarensi meritissimo,
Marchioni de Gibraleon, & Comiti de Benalcazar, multisq; alijs
titulis ac nominibus præstantissimo, Magister Frater Petrus de
Aragon Ordinis Eremitarum Diui Augustini, & in
Salmanticensi Academia publicus professor
S. P. D.

LIBRUM hunc de Iustitia, & eius partibus, cum pri-
mum absolui, equidem non diu anceps hæsiti, cui nam
Mæcenati ac Tutellari Deo (ut antiqui dicebant)
nuncuparem. Tu enim inuitio statim meæ cogitationis
aduisisti, non solum ut librum & eius autorem sub tua protectione
susciperes, verum, ut utrumque ad te tuo veluti iure vindicares.
Nam opus de iustitia & integritate cui alteri dicandum erat, nisi
tibi, iustissime & integerrime Princeps? qui posthabitis omnibus
exercitationibus, quæ aut utilitatem tibi, aut voluptatem ingererent,
& quibus alioqui Duces & optimates toti incumbunt, tute ad ius-
titiam excolendam, & exercendam in tuis oppidis, quæ & multa &
magna sunt, totum conuertisse videris. Quo studiosum os maiori-
um tuorum imagines, & Nobilissimum & Antiquissimum Ducum
Vejarensium sanguinem, tam gloriose illustrasti, ut cum nulla hono-
ris accessio fieri posse credebatur, plurimum splendoris & dignitatis
ex tua honestissima & integerrima viuendi norma susceperit.
Quare si libros hosce meos de iustitia ad te mitterem, rem tibi gra-
tissimam facturum me semper existimaui, non inde ut iustitia
administrationem discas, qui docere omnes potes, sed ut ibi tua